De

NATURA PO-
PVLORVM,

*EIVSQVE PRO LOCI POSI-
tu, temporiſq; decurſu varia-
tione:*

Ac inſimul etiam,

DE LINGVARVM
ORTV ET IMMVTA-
tione,

Philologicus Diſcurſus.

AUCTORE

CHRISTOPHORO BESOLDO.

TUBINGÆ,
Typis Johan-Alexandri Cellii.
ANNO M. DC. XIX.

Pietate verâ, rarâ item ac variâ eruditione Clariſsimo Viro;

DN. HENRICO HEINIO, ROSTOCHIENSI, V. I. D. CONſultiſsimo, &c.

AMICO SVO, FRATERNO adfectu colendo;

Obſervantiæ & amicitiæ monumentum heic l. m. p.

Auctor.

OMNIUM PRIMÒ, QUALIS NAturâ Populus ſit cui imperitatur; ab eo qui vel Rempublicam adminiſtrare, vel de rebus politicis judicare velit, cognoſcendum eſt. Etenim quemadmodùm ſapiens Architectus, ædificium diuturnum extructurus, ad cujuſvis materiæ naturam atque conditionem, formam adaptat congruentem; etiam quemadmodùm Medicus, quemadmodùm item is qui equitat, reſpectum ad ſubjectum habet: ſic & Cicerone *de Oratore* teſte, duo Reipublicæ capita ſunt; noſſe Rempublicam, & Civium cognitos habere mores. Il faut, dicente Blaſio du Montluc, *lib. 3. des Commentaires, fol. m. 167. b.* qu' un Capitaine & Gouverneur ſage, & advisè, quand il eſt parmi les nations eſtrangeres, taſche tant qu' il peut, ſe conformer à leur humeur. Parmi les Allemans, & les Suyſſes, il faut faire garroux; avec les Eſpagnols, tenir leur morgue ſuperbe, & faire plus le Religieux, & devotieux, qu' on n' eſt; parmi l' Italien, eſtre diſcret & ſage, ne l' offencer, ni careſſer leurs femmes, &c. Ac ideò de omnibus Rerumpublicarum arcanis, nullum creditur majus; quàm ad varios gentium mores & inclinationes, Civitatis cujuſque leges & formam accommodare convenienter. Multi enim, dum inconſideratè Civitatis formam, alienam à populi moribus inſtituerunt, Imperia florentiſſima funditùs everterunt.

Bodinus *lib. 5. d. Rep. cap. 1. num. 494.*

tiſtii exemplo, de quo Agellius *lib.* 13. *capit.* 10. ſcribit; Eum Juris Civilis diſciplinam, principali ſtudio exercuiſſe, & conſulentibus de Jure publicè reſponſitâſſe; litteraſque antiquiores, altioreſque penetrâſſe: eâque præcipuè ſcientiâ, ad enodandos pleroſque juris laqueos uſum eſſe. Scias etiam benevole Lector, in derivationibus vocabulorum, ut ait Iſidorus, licere divinare. Sicque nos ſibi ſervet CHRISTUS.

EPIGRAMMA

In Tractatum.

Clariſsimi Viri,

CHRISTOPHORI BESOLDI, DE NATURÂ Populorum & Linguarum immutatione.

O Thomanigenæ Phlegetontica ſemina gentis
Miraq; diviſi ſcribere jura fori,
Ut Chriſtis pateat: quid ſit cognoſcere Solis
Temonem, tenebras noſſeq; Cimmerias;
Atq; roſam, vepres inter quaſi, carpere detur,
Quæ deindè ambroſium ſpiret odore decus,
Sufficiat? curâ atque labore dediſſe Beſoldum
Ingenii aſtrigeni tot monumenta ſui?

Dum